

QUID MĒNS PETAT

Quænam discors fœdera rērum
causa resolvit ? Quis tanta deus
vērīs statuit bella duōbus,
4 ut quæ carptim singula cōstent,
eadem nōlint mixta jugārī ?
An nūlla est discordia vērīs
semperque sibī certa cohærent ;
8 sed mēns, cæcīs obruta membrīs,
nequit oppressī lūminis igne
rērum tenuēs nōscere nexūs ?
Sed cūr tantō flāgrat amōre :
12 vērī tēctās reperīre notās ?
Scitne quod appetit ānxia nōsse ?
Sed quis nōta scīre labōrat ?
At sī nescit, quid cæca petit ?
16 Quis enim quicquam nescius optet ?
Aut quis valeat nescīta sequī ?
quōve inveniāt ? Quis reppertam
queat ignārus nōscere fōrmam ?
20 An cum mentem cerneret altam,
pariter summam et singula nōrat ?
Nunc membrōrum condita nūbe,
nōn in tōtum est oblīta suī
24 summamque tenet singula perdēns ?
Igitur quisquis vĕra requīrit
neutrō ēst habitū ; nam neque nōvit
nec penitus tamen omnia nescit.
28 Sed quam retinēns meminit summam
cōsultat, altē vīsa retractāns,
ut servātīs queat oblītās
addere partēs.

EX BOËTHĪI (v. 476-524) *CŌNSŌLĀTĪŌNIS PHĪLOSŌPHIÆ* LIBRŌ V